



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Mogvntiae, 1603**

VIII. Poloniæ Rex Societatem Regno accipit: Collegium Pultouiæ exstruitur

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45256**

268 DE VITA FRANC. BORG.

Ioannes complures, his cognominibus, Sanchius, Mercatus, Curielius, & Matillus: Bartholomæus: item Lariosus, Lupius, Nauarrus, Martinus Gonzales. Hæc in Peru Provincia; nuperque detecto orbe, FRANCISCO Generali Præposito præclare gesta: nec minus in Europa Societatis incrementum fuisse, nunc ostendam.

### CAPVT VIII.

Poloniæ Rex Societatem Regno accipit: Collegium Pultouie exstruitur.

**A**PVD Sarmatas, superlitate etiamnum Iacobo Layne, inchoatum Sociis collegium, sumptu, & auspiciis Stanislai Hosij, Præfulis Varmiensis, Bransberga in vrbe, eius dicesis, magno prouincię Prussia,

quæ

quæ ad Polonos attinet, emolumento. Hic Episcopus, eis singularē cum pietate coniunctam doctrinam, in Cardinaliū urbis Romæ Collegium adoptatus, Synodo Tridentinæ nō interfuit solum, sed & Legatus præfuit. Dimisso itaque Conclio, in sequenti anno quarto, & 1564 sexagesimo, ob præclare in Cōcilio nauatam à Sociis Layne, & Salmerone operam, Societatem acciuit, amplexusque est peramanter. Sigismundus vero qui tum Poloniæ Regnum tenebat, animi dubius erat, quid Societate faceret: qua de finistrors in vulgus rumores sparserant, vt solent hæretici, in circulis, & conciliabulis; famosis ad hæc libellis. Et vero ita nunc comparatum est, vt in aulis Principes verum non audiant,

vbi

*Sex. Au-  
relius Vi-  
ctor in vi-  
ta Con-  
stantini.*

vbi assentatorum & parasitorū,  
(quos palatij forices, tineasq; Li-  
cinius Imperator appellabat)  
plena sint omnia. Tādem vero  
Francisci Comendonis opera  
(qui Apostolicæ sedis Nuncius  
in Polonia, post etiā purpuratis  
est Patribus adscripus (Rex  
metu liberatus est, honorifica  
de Socijs prædicatione: necessa-  
rios cū rebus publicis omnibus,  
tum ijs potissimum existere,  
quæ temporum vitio sectarum  
labe, & opinionum monstris  
infectæ sint. Catholicos enim  
confirmant: aduersarios refel-  
lunt: incolarum deniq; liberis  
pie, honesteq; educandis miri-  
fice prosunt: qui cum ciuitatū  
sint Seminaria, in eius ætatis in-  
stitutione posita videri omnia,  
spemque sitam constituendo  
optimi ciuitatis status, & quod  
rei

rei caput est, Religionis maiorum. His sermonibus, ut à pio viro profectis, assensus Rex, animoq; erectus, & rei diligentius veritate explorata, Vilniense Gymnasium vniuersum Societati attribuere instituit: ut sectariorum, quemcum pestis ibi graviori cœperat, audaciam, seditiones, atq; tumultus infringeret. Pius IV. Pont. Socios eo mitti, Rege postulante, iubet. At Vilnae Palatinus vir quidam, domi nobilis, & potens, sed Ariana labe aspersus, arma contra tulit; nec prius depositit, quam vietus, more maiorum, pœnas dedit. Pacis itaq; tempus in bellum, secessionemq; vertit, tisque de Vilnensi Gymnasio dilata est: cuius in locū Pultouia, quæ Provinciæ Mazouiæ regni Poloniæ ampla vrbs est, nō  
uum

272 DE VITA FRAN. BORG.

uam Collegium Sociis institu-  
tum, bona cum Regis venia,  
qui regiis comitiis honorifico  
diplomate, quod in manibus  
est, Societatem ornauit. Anno

1565. sequenti Vilnæ Collegium in-  
stitutum: mox & Ia:oslauia:  
deinde Posnauia. Qua tempe-  
state parebant vni Prouinciali  
Præfecto Austriae: qui statis an-  
ni temporibus ea collegia lu-  
strabat: verum quod vasta ea  
Regio obiri commode nō pos-  
set, crescente indies Collegio-  
rum, collegarumque numero,  
Poloniæ regnum Prouincia fa-  
cta. Accesserat enim Collegiū  
ad ea, quæ in Moscouia finibus  
sita, proxime recensui, & Ri-  
gense in Liuonia.

CAPVT IX.

*Varia item varijs in Prouincijis  
constructa Collegia.*

APVD